

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Vorwort (Johannes Woverius)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

IOANNIS WOVERI ANTVERP.
DE
IVSTI LIPSI V. C.
POSTVMA SENECAE EDITIONE
BREVE ALLOQVIVM.



NTIBI LECTOR beniuole, à postremâ insignis doctrinæ & sapientiæ Viri recensione, SENECA M. Scriptorem LIPSI O olim nostro sic vnicè carum, vt adfirmare numquam dubitauerit, multùm eum ad bonam mentē profecisse, cui ille placere cœperit. Format enim firmatque animum; solum despicere, suspicere cælum docet; & si compendio eius vti licet, hominem cognitione sui imbutum, *placidum, inconcussum, cum Diis ex pari vivere* iubet. Meritò igitur IUSTVS, cùm ingenium suum humani generis bono impendere decreuisset, hunc ANNÆVM, ante omnes quos è profundi temporis naufragio benignus æternitatis Genius seruauit, commendare, & iugi eruditionis suæ labore illustrare non destitit. Quo sanè in opere sic viuus perstitit, vt nisi moriens de hac tabulâ manum tollere, & sic perfectum potiùs quàm absolutum opus relinquere potuerit. Nam inter alias extremæ voluntatis, quas mihi mandauit, curationes, SAPIENTEM istum esse voluit, talibus verbis inuolucro codicis sui inscriptis: *Hic SENECA corrigi à me cœpit (Espero perficiam) ad alteram editionem. si quid ergo mihi humanitùs eueniet, eò seruetur: & MORETO eiusve liberis detur, quibus iam nunc lego. malus improbusq; qui interuertet.* Præstiti quâ debui religione, fideiq; huius, PLANTINIANA typographia, omniũ quot fuerunt & sunt emendatissima, fidem faciet. Fruere quisquis es, ROMANI SAPIENTIS inclyti salubribus aureisq; scriptis, nunc verè immortalis LIPSI à supremâ manu diligentissimè castigatis, ab eruditione vltimâ luculentissimè illustratis. Si laboris ad fructum respicis, mecum examina inscriptionem quâ me olim Auctoris huius ad lectionem, *mearum grande decus columenq; rerum* hortabatur.

IOANNI WOVERIO, QVEM AMO,
HVNC SENECA M QVEM AMO
DONO DEDI.

HORTORQ. AD SERIAM ET FREQVENTEM
EIVS LECTIONEM,
QVI ANIMO SAPIENTIAM INSERTIT ET
VIRTUTEM.

FAC ET SALVE.

LOVANI, VI. KAL. OCTOB. ∞. 15CV.

Sic tu quoque bone Lector FAC ET SALVE. Antuerpiæ, ∞. 15C. XV.
Prid. Id. Ianuar.